

JOANNIS MICHAELIS

G A L L O

SICULI MUTHICENSIS, PHILOSOPHIÆ, AC
MEDICINÆ DOCTORIS, EQUITISQUE
AURATI, AC COMITIS PALATINI

O P U S C U L A
M E D I C O - P R A C T I C A

S U B A U S P I C I I S

Illī, atque Excī in Rebus Medicis Eruditissimi

D. G E O F F R O Y

Medicinæ, & Philosophiæ Doctoris Facultatis Parisiensis,
Sociique Regiæ Academiæ Scientiarum Parisiensis,
ac Societatis Regiæ Lugdunensis, Professoris
Chymiæ in Regio Horto, ac Medicinæ Le-
ctoris in Regio Collegio Parisiensi &c.



R O M Æ M D C C L I I .

Typis Joannis Zempel prope Montem Jordanum.

S U P E R I O R V M P E R M I S S V .

21st JULY 2016

WEDNESDAY

Wet day. 40% humidity. 100%
relative humidity. 100% relative
humidity. 100% relative humidity.

Wet day. 40% humidity. 100%
relative humidity. 100% relative
humidity. 100% relative humidity.

Wet day. 40% humidity. 100%
relative humidity. 100% relative
humidity. 100% relative humidity.

Wet day. 40% humidity. 100%
relative humidity. 100% relative
humidity. 100% relative humidity.

Wet day. 40% humidity. 100%
relative humidity. 100% relative
humidity. 100% relative humidity.

Wet day. 40% humidity. 100%
relative humidity. 100% relative
humidity. 100% relative humidity.

Wet day. 40% humidity. 100%
relative humidity. 100% relative
humidity. 100% relative humidity.

Wet day. 40% humidity. 100%
relative humidity. 100% relative
humidity. 100% relative humidity.

Wet day. 40% humidity. 100%
relative humidity. 100% relative
humidity. 100% relative humidity.

Wet day. 40% humidity. 100%
relative humidity. 100% relative
humidity. 100% relative humidity.

Wet day. 40% humidity. 100%
relative humidity. 100% relative
humidity. 100% relative humidity.

Wet day. 40% humidity. 100%
relative humidity. 100% relative
humidity. 100% relative humidity.

Wet day. 40% humidity. 100%
relative humidity. 100% relative
humidity. 100% relative humidity.

Wet day. 40% humidity. 100%
relative humidity. 100% relative
humidity. 100% relative humidity.

Illmo, ac Excmo Viro in Rebus Medicis Eruditissimo

DOMINO GEOFFROY

*Medicinæ, & Philosophiæ Doctori Facultatis Parisiensis,
Socioque Regiæ Academiæ Scientiarum Parisiensis,
ac Realis Societatis Lugdunensis, Professori
Chymiæ in Regio Horto, ac Medicinæ
Lectori in Regio Collegio &c.*

Illme, & Excme Vir.



*Umanitas illa tua sin-
gularis, Vir Illustrissi-
me, qua literatos homines ad Te con-
fugientes benignissimè excipis, atque
patrocinaris, in causa est, cur tuo*

Magnifico Nomi ni has Lucubratio-
culas Medicas audeam inscribere.
Nemo enim est adeò parum in tua
consuetudine , ac familiaritate ver-
satus , cui compertum non sit , & ex-
ploratum , tot , ac tantas esse amoris
significationes , quas hominibus hu-
manarum literarum , scientiarum-
que præceptis probè imbutis quotidiè
contendis dare , ut eos impensè ama-
re , ac multum favere clarissimè de-
monstres . Hæc cum sæpius mecum in
animo voluntarem , quumque in lu-
cem edere stabilissim hæc Medico-pra-
etica Opuscula , speravi , ut quo nito-
re , splendoreque ea carerent , illum
omnem à te satis , superque essent ac-
quisitura . Hæc certè non inanis glo-
riæ cupidine prælo committo , quam
minimi facio , sed ut fideliter , &
quantum fieri poterit verbis rite ex-

pone-

ponerem, quæ mibi digniora obser-
vatu in praxi Medica continguerunt.
Huic, & alia accedit non levis ratio,
quæ me ad scribendum impulit. Ex
quo nempe Medicinam facio, hanc
mibi methodum in pertinacioribus
morbis profligandis proposui, ut quæ
obscuriora primo intuitu mibi vide-
bantur in cartam diligenter conjice-
rem, dein sedulo examinarem moni-
tus à præclarissimorum hominum ex-
emplo, consilioque, qui non absimili
modo malignas egreditudinum causas,
insidiasque detexerunt. Itaque quum
gessissem, crevissetque magna cartu-
larum copia, eas in unicum libellum
conjicere, ordineque digerere amici
persuaserunt. Ut ergo hisce morem ge-
rerem, & si difficulter conscientius imbe-
cillitatis virium mearum, in lucem
mittere hæc mea scripta tandem af-

sensus

*sensus sum. Excipe igitur benevolas
facie, bilarique vultu hos meos qua-
lescumque labores, qui ad Te veniunt,
tui juris fiunt, in Te conquiescunt,
unde plus roboris, quam ex me acce-
perint, se habituros sentiant. Vale.*


Illīme & Excmē

Datum Romæ die 26. Junii 1752.

Devīmus, & Oblīmus

Joannes Michael Gallo.

COM-



COMMENTARIOLUM P R I M U M

De Immani Affectione Hysterica,
Q U A

NOBILIS PARISIENSIS MULIER

Ad Forum Hispanum de Urbe vexata est.



Xor cujusdam Nobilis Parisiensis, cuius domicilium erat propè montis Pincii radices ad Templum PP. Minimorum Sancti Francisci de Paula nationis Gallicæ, quia itur ad forum Hispanum de Urbe, vexabatur olim somnolentia, capitis dolore, cibique fastidio cum vitioso omnium exculentorum sapore, & quid mali esset, nesciebat præter animi quamdam laxitatem, atque torporem. Erat ipsa quadraginta circiter annos nata, temperamenti,

menti frigidi, & humidi, quod Phlegmaticum dicunt. Et quamvis diù in matrimonio fuisset, sterilis tamen erat, ne cdum menses eidem apparuerant. Quod mirandum non erat. Etenim menses, qui sunt auguria fœcunditatis, pænè ad hoc tempus desiderabantur: Joannes Dominicus Santorinus in aureo Opusculo de Catameniis hæc habet: *Cum igitur pro hac menstrua purgatione hæc tria requirantur, nempe seminis in fibras impetus, sanguinis turgescentia, & vasorum dispositio, quoties unum ex his deficiet, ni aliud excedens suppleat, hæc excretio non contingat.* Verissimè dixit Santorinus, quia tunc apparent in puellis menstrua, cum genitalia stimulis affliguntur, & in vetulis cum stimulus ille cessat, cessant pariter & menstrua. Requiritur & Phletora; cuin enim spermaticæ plus sanguinis vehant ad irritationis centrum, quam quod à venis refumi possit, diutius, quam oportet, ibi sanguis moretur necesse est; & vasa ob sanguinis impetum sic tenduntur, ut demto in fibrarum vasa constituentium elementis contectu, planè dehiscant, & Cruor ille, quem menstrua dicunt colore fit vivido, atque purpureo. Tandem dispositio vasorum requiritur, si enim uteri vasa, ita pateant, & majoris, quam pars est, sint diametri, ita ut redeunti sanguini sit aditus,

aditus , vel fibrarum resistentia ad divulsionem
 dato impetu sit major lunaris ille fluxus retardabitur. Hæc cum ita essent, factum est, ut prædicta
 Mulier rueret in pejus semper , & dolor abdominis , & tensio , & præcordiorum angor , &
 difficilis denique respiratio in dies augerentur . Mensibus autem ab hinc duobus , atque viginti
 symptomata hæc graviora facta sunt , quæ sudores nocturni sequebantur cum sensu quodam
 in cute veluti infestantis formicæ . Sensus quoque doloris acerbissimi in renibus erat (cultri
 secantis effectus esse videbatur) quem acer quidam in coxendicum superficie humor efficiebat.
 Accesserunt , & alia per consensum symptomata
 jure originis , & consensus , ut ait Baglivus : nunc
 tumores in tibiis verum hydropem mentiebantur ; subinde quærebatur de coxarum dolore , quæ
 cum essent inspectæ , arcus ad instar tensæ apparebant ; fortasse ex amborum ligamentorum , quæ
 sunt rotunda , consensu , quæque orta à parte su-
 periore uteri transeunt per annulos muscularum
 abdominis : cum autem ad inguina pervenerunt
 in plures dividuntur ramulos , vel lacertosas fi-
 bras , ut ait Heisterus , quorum ramuli alii os-
 fibus pubis inferuntur , alii verò femoribus . In
 hoc rerum statu multorum consilium est advoca-
 tum , & ut tot capita tot etiam fuere sententiæ ,

quæ potius in ægrotantis perniciem vertebantur. Fuerunt, qui phlogosim aliquo in ligamento esse affirmarent, at hæc omnia fortasse per consensum; tamen nullus exterior tumor apparebat. Non defuere, qui dicerent, scirrum in uteri cavitate esse, sed parvæ molis, ut nullum exterius signum adesset. Danda verò censebant ranarum juscula & aquas, in quibus candentes clavi essent extincti; sed hujus opinionis falsitas statim evincitur. Etenim scirrus est tumor durus, renitens, concolor, indolensque. Igitur si adfuisset scirrus, qui exquisitus & confirmatus tanto temporis spatio esse debuisset; nullum fœmina sensum doloris acerbi habuisset, & aliqua inæqualis durities adparuisset. Quid plura? Doctissimi in arte viri factis inspectionibus apposito naturæ speculo aliquid simile in utero esse prorsus negarunt. Medicus unus, idemque senex contentebat, in utero esse tres minimos scyrrhos, qui simul ac inflammati fuissent, & in cancros conversi fœminæ mortem essent allaturi. Quod mihi judicium minimè rectum videbatur, nam neque tumor, neque indolentia, quæ scirrhorum semper est comes, ibi aderant. Präterat his omnibus illamque curabat non vulgaris famæ Gallicus Medicus, qui tot diversas opiniones argumentis refellit, &

constanter asseruit esse affectum spasmodico-convulsivum ex utero provenientem, cum acre quidquam nervos ossis sacri, lumbares, totumque nervorum sistema irritaret, ut ergo illi remedium adhiberet, præbebat aquam hysterica Quercetani; Oleum Amigdalarum dulcium, ut laxitatem induceret; Laudanum liquidum Sydenhami; pillulas de Cynoglossa; & hujusmodi alia, ut scilicet inducto somno dolor minueretur; sed omnia irrita erant. Nam morbus in dies augebatur, motusque fuscabantur convulsivi, quandoque tam vehementes, ut Mulier auxilium humanum pænè desperans, se ad Divi Dominici Fratres contulerit, ut impetrato Pallio Benedicti XIII., eam illo induerint; pænè sibi persuadens malum Dæmonem talia perpatrare. At Medici quidam, iisque infimi subsellii perperam tuebantur ægrotantis opinionem, imò firmiter asserebant expulso Dæmone, ægram pristinam sanitatem recuperatram. Cujus rei causa non defuere Sacerdotes, qui malos spiritus abigerent, sed omnia incasum agebant. Nostris hisce temporibus imperitorum Medicorum mos est; si observent aliquot symptomata, quæ præter naturam accidunt, continuò ad diabolum, & incatamenta confugere; quasi nulla superesset ratio, quæ suffice-

ret ad explicanda ea phænomena, quæ natura-
lia vocant. Hoc iis me judice non ita decorum
est. Hanc quoque rem animadvertisse Hippocra-
tem ex ejus operibus intelligimus. Is enim fa-
tis clarè locutus est Lib. de Morb. Sacr., ait,
Enim naturam, & causam hujus morbi divinam
esse putaverunt præ inexperientia & admiratione,
propterea, quod reliquis morbis nulla re similis est:
Et inferius: Qui primi hunc morbum sacrum esse
pronunciauerunt, tales homines mibi esse videntur;
quales etiam nunc sunt magi, & expiatores, &
circulatores, & quidam arrogantes, qui se ueber-
menter pios esse simulant, & amplius quid scire.
Hi itaque consilii & mentis inopia obvelantes, ac
prætexentes, divinitatem cum nihil haberent; quod
exhibitum prodeisset, ut ne manifesta fieret ipsorum
ignorantia, sacram hanc affectionem esse pronuncia-
verunt, & rationibus idoneis collectis curationem
constituerunt, sibi ipsis securam, expiamenta offe-
rentes, & incatamenta. Id ipsum fermè tradidit
Plutharcus in vita Camilli pag. 132. Talibus ni-
mium credere, aut nimium diffidere periculosum est
propter humanam infirmitatem, quæ fines non ha-
bet, neque sui compos est, sed fertur interdum quid
in superstitionem, interdum verò in neglectum, &
contentum rerum divinarum. Metus verò, & ne
quid nimis optima sunt. Sed ut morbus aliquis

Dæmoni , & non causis physicis sit tribuendus , plura sunt mea quidem opinione scitu necessaria . Quocirca statuo , horrendos ejulatus , tremores , planctus , deformes artuum motiones , & hujusmodi à Dæmone minimè proficiisci ; quod falsò creditur ab indoctis Medicæ facultatis . Est certè periculofæ plenum aleæ opus , determinare , num morbus ille detur , qui adeò facilè ab imperito vulgo Medicorum ad Diaboli potentiam refertur . Priusquam enim quis determinare posset ad causam diabolicam morbum , deberet prius probè noscere , ad quantum se se extendant vires naturæ . Quod certè primi , & præstantiores Philosophi se ignorare ingenuè fissentur . Ergo credendum certè quidquid de hac re scriptum invenitur in sacris paginis . At verò non ita facilè fictitiæ causæ tribuendum est , quod non intelligimus . Nihilo tamen secius , si est aliquis morbus , qui potentiam hanc Diaboli admitteret , ille esset , in quo hæc signa apparet , sententia quoque Magni Viri Friderici Hoffmanni , nempè , ut mortales sine prævia causa dirros patientur cruciatus , doloresque spasmodicos ; deque rebus divinis non benè loquantur , simulque dum profanis miscent sacra ; secreta omnia , actaque haud manifesta detegant ; dum isti nunquam visos homines propriè nomine

vocant ; actionesque illorum palam faciunt ; dum si scientias nunquam apprehenderint , & eruditè loquantur ; si tali polleant robore , ut omnium fortissimorum vires longè superant ; si remedia præstantissima corpori applicata non exerant suas vires ; si demum , quod signum certissimum referente supralaudato doctissimo Friderico Hoffmanno , qui scripserat de hac re ; si diris nempè cruciatibus è corpore de- pellant varias res peregrinas , & insolitas . Ex his omnibus , quæ modo dixi , ne quidem unum in nostra ægra apparuisse animadver- timus . Sed omnium causa uterus erat ex le- ge naturæ : nam vulvæ morbus , ut testatur Celsus *lib. 4. capite xx.* , interdum sic exani- mat , ut tanquam comitiali morbo prosternant ; distat tamen hic casus , eo quod , neque oculi vertuntur , neque spumæ profluunt , nec nervi distenduntur . Ad hæc in consilium advocatus ego motus illos convulsivos spasmodicos ad hy- stericam censui referendos , ideoque præscribe- bam per vices aquam hystericam Quercetani , itemque nucum viridum cum laudano liquido Thomæ Sydenhamii ad guttas aliquot , quæ etiam repetita irrita erant insigni probo Medi- corum . Sed ego tamen Laudani usum felici- ter præscribere soleo , ita quamplurimis ægro- tan-

tantibus ipsius usu salutem attulerim. At verò fœmina guttas centum & quinquaginta dolore compulsa uno haustu bibt contra artis præcepta , quæ paucas guttas solummodo concedit , ne somnus gravis inducatur , qui ægras extinguat ; ex tanta Laudani copia nil est passa detrimenti , quæ res planè mirabilis visa est. Talia cum observarem , cumque vix aliquod promoverant narcotica , & potiones , quæ affectiōnibus hystericis mederi solent , ad stimulos veni , apposuique femoribus vesicantia , ut aucto fibrarum motu , ad earum contactum celerior fieret cursus liquidorum . Nam vesicantia stimulando agunt , & inter stimulos principem obtinent locum , ut inquit Baglivus cap. 4. de vesic. Porro Lex stimulorum est , ut membranarum villi aucto motu , fortius contrahantur , & in contractiones breviores denique evadant ; unde celerior in fibris motus , & celerior in liquidis ad contactum cursus ; qua de re aucta solidi oscillatione & fluidi ad fibræ contractum motu facilior erit liquidorum expressio , qua poterit . Perspicuum est , lentorem aliquem in periostii fibris , hærentem fœminæ pestem attulisse ; tum quoties fibræ illæ in periostiis naturali motu movebuntur , lento ille hærebit , & morbi causa in æternum vigebit . Igitur per

sti.

stimulum aucto in fibris motu , vel contactu fi-
 brarum , fluidum , quod inest , movebitur , vel
 saltem vi stimuli in fluida immissi , lensor ille
 solvetur , & cum velocitas in sanguine augea-
 tur , simul cum liquido ad contactum fluente
 lensor ille abripietur , & ad stimulus principium
 derivabitur . Et quoniam stimulus contrahen-
 do agit in solidis , contrahit non tantum par-
 tem illam , cui apponitur , sed totum corpus ,
 ideoque etiam contrahat partem illam , ubi len-
 tor adest , necesse est , & sic contracta , quod
 adest , exprimit ad contactum sui , & cum san-
 guine fluit , donec per emissarium aliquod ex-
 purgetur . Nihil tamen remedia hæc profuerunt
 & adhuc sæviebant dolores . Anceps , & du-
 bius erat morbus , & anceps erat remedium .
 Dabatur tamen fœminæ lac Afininum ad nu-
 tritionem , absorbendamque sanguinis acrimo-
 niam : sumebat narcoticos bolos hora somni ex
 Laudano liquido , Laudano nepent : pilulas de
 cynogloss: , ut stupefactis sensibus , & somnus
 induceretur , & sedaretur dolor , sed omnia
 frustra fuerunt . Nam mulier in pejus semper
 abibat . Hæc cum ita se haberent , observavi ,
 quod symptomata in fœmina vesperè magis
 sæviebant . Femora vinculis vincta apparebant ,
 pallebat vultus , pulsus erant oppressi & duri ,
 & uri-

& urina fluebat quidem , sed quod hysterico morbo est singulare , atque proprium ; fluebat aqua , eo quod renes a spasmate contracti crassioribus urinæ principiis aditum non præberent . Hæc ad noctem symptomatum exacerbatio in causa fuit , ut statuerem initium mali a Galli- co esse fermento , quod in periostii & coxen- dicum superficie locatum est juxta Baglivum , qui prax. Medic. de puer. Lumbr. sic ait ; Ge- neraliter in virorum & mulierum arduis nonnullis , & pertinacibus morbis , periodumque sibi propriam non servantibus de Lue Gallica suspicandum , quæ hodie , vel hæreditaria est a Parentibus , vel per nutricum lac contracta , vel semel per delicta ju- ventutis , fragilitatisque humanæ sanguini adacta , imposterum nunquam amplius deletur , sed repente subolescit sub persona variorum morborum , & in- gens medico faceſſit negotium . Mulier , atque Pa- rentes interrogati consensu negabant ; tamen veritus sum , ne morbus esſet hæreditarius , fu- spicatusque ne in patrimonii parte esſe reli- ctam : Inde eſt , quod tentare volui hydrar- giroſim omnibus reluctantibus . Nullum enim in toto rerum naturalium ſuppetit pharmacum , quod iam potenter univerſam lymphæ , & hu- morum maſſam in motum cieat , & largiſſi- mum ſalivæ ad aliquot interdum hebdomadas du-

rantem fluxum cieat , quam ipse Mercurius , qui corpus subiens ob specificam in minimis etiam moleculis , omnibus succis superiorem gravitatem , ad intima corporis pervadit , & per angustias tubularum strenue eluctans , obstructiones in his solvit : sunt verba Hoffmanni de specif. quorumdam remedior. offic. §. xxc. Porro Mercurii dulcis fluidi cujuscumque corporis gravissimus est , cuius etiam particulæ , quantumvis exiguae , ubi solvantur , ac dividantur , specificam retinent gravitatem omnibus fluidis superiorem , & cum sanguine mixtae , cum ipso moventur , ipsius globulos pellunt , adhaerentes humores dividunt , lentorem in vasis , si quis adest , solvant. Solutus enim Mercurius in infinitè parvas , & subtile moleculas redigitur , quæ pro insita gravitate , & tenuitate intimas fibras penetrare vasorum facile possunt . Pervadit itaque in minimos nervos , in nervosas glandularum fibras , imo , & in ipsas lymphaticorum , & lactearum vasorum tunicas , & ob minimas particularum figuræ lentorem , & consistentes in glandulis , vasisque minimis stagnationes tollit , ac destruit .

Præscripsi nostræ igitur Mulieri Mercurium dulcem ritè paratum ad grana octo cum æquali quantitate Antimonii diaphoretici , &

Can-

Cancrorum lapidum in pulvere redacta cum
conserva rosarum, ut nempe per superiora ha-
beretur excretio, & convaluit post aliqua hor-
renda symptomata Pharmacopolæ inficitia mi-
seræ allata, quæ, nisi præstò essem, haud du-
biè exitio ægram efficerent. Sumebat itaque
fœmina Mercurium dulcem ad grana octo, ut
supra præscriptum. Postquam verò Mercurium
sumpsit, quatriduo dolores cessarunt: quæ res
Medicos omnes admiratione complevit. Phar-
mocopola ægræ vicinus, quam ità perditè ama-
bat, ut ipsius amore planè insanire videhatur
remedium sperans efficacius futurum, Mercu-
rii dosim ad drachmas auxit circiter duas me-
inscio, & inconsulto. Quæ res fœminæ sæva,
& mortalia symptomata attulit: Nam saliva-
tio nimio impetu affluens ex glandulis palati,
amygdalis nimis irritatis, vulcera induxit,
quæ nimio impetu irruentis humoris in sphace-
lum verti, non in certa dabant indicia: Infici-
cias præterea non ibo, quin illa materies, quam
salivatio egerebat, esset admodum acris, pun-
gentibusque naturæ, ut ex oris vulcera & fau-
cium intumescentiam posset inducere. Sed au-
cta Mercurii dosi a Pharmacopola, quæ eva-
cuatio haberi debebat quindecim dierum spatio,
paucis successit & oris vulcera, & faucium in-

tumescientia ad id devenerunt , ut ægrotantem miserè strangulari videbantur . Intercluso scilicet majori ex parte aeris ingressu & regressu per tracheam . Evidens est , ut prosequitur Baglivus , ad promovendam sanguinis circulationem primariò factam esse respirationem , nec non in auxilium cordis , idest ad minuendos labores , & ingentem vim , quæ necessaria ipsi esset ad circulandos humores , clarè ac evidenter demonstratur , non solum ex situ cordis in pulmonis medio , vasorum dispositione , aeris in eos pressione , aliisque hujusmodi , quæ Physiologici docent ; verum etiam ex ipsa cordis mole nam nullo modo parvus Musculus , qualis est cor , centum annorum spatio , quo quis protrahere vitam potest , sanguinis circulationem velociter & interruptè perpetuaret , nisi pulmones folium ad instar concorrente aeris gravitate , & vi ælastica continuo præmerent illum & urgrent , & ita veluti manus darent , atque auxilium vicino cordi , ut admodum emboli humores nunquam cessante cursu protuderet . Suppressa igitur ex parte respiratione , & propè cessante pressione illa aeris se se in sanguinem per pulmones circumagentis factum est , ut sanguine tarde redeunte per pulmonicam venam ad cor , correpta syncope Mulier Pharmacopolæ vicio-

migraret ad superos , nisi debita methodo syncope discussa impetuosa salivalis saliticis profusionem , validumque feri ab extremis & Infernis partibus ad fauces appulsum per pedilu-
via dextrè adhibita ; clysteres , per pilulas Hoffmannianas Balsamicas cum extracto Pan-
chimagogi Croillii maritatas ad inferiora de-
rivavi . Sanctorianamque perspirationem infusis
theiformiis , crebius oblatis promovi . Ad Oris,
& Palati ulcera syphone injeci jussi inejectio-
nes liquorum putredini resistentium , gargaris-
mataque ex speciebus purificantibus , leniterque
constringentibus composita in usum revocavi ,
osque sæpius proluere lacte aquæ hordei , rad.
Altheæ permixto prescripsi , & ita nimius , sali-
væ fluxus suppressus est , & oris ulcerationes hac
methodo , Deique Gratia perfectè disparuere .





COMMENTARIOLUM
SECUNDUM
De Morte Nobilis Puellæ,
Ut falsò putatur,
AB HERBA MERCURIALLI.



Nter ea , quæ contingunt in dies ad artis Medicæ meditationem , & curam pertinentia , illustre fuit , quod Romæ accidit Junio mense anno 1751. in eo vico , quem ascensum Marphorii vulgus appellat ; haud ita procul ab ædibus meis D. Francisca erat Simonetta , annorum Virgo unius & viginti , brevi statura , habitu corporis bilioso . Illa enim cum antehac valetudine optima fuisset usq; si inopiam mensium excipias ; tandem ab alvi sic citate molestiam capere cœpit . Duo igitur pruna Cesanelli , quæ vocant , sumere statuit ad ven-

ventrem laxandum ; quæ , & si vulgò usitata
nihil ei , vel parum profuerunt . Subinde herbæ
Mercurialis fasciculos duos ad se ferendos cu-
ravit , consilium secuta familiaris aniculæ , quæ
in simili vitio adhibere solebat id genus reme-
dii . Monita est Virgo lotione herbæ abstineret :
fore enim , ut si aqua dilueretur vim suam de-
perderet : ergo unum fasciculum in sartagine
frxit , magna olei copia , saccharique rubentis
admixta , frixumque comedit post diluculum
vesperè horâ primâ . Secunda cubitum ivit , &
ad septimam usque tranquillo somno fruīta est .
Paulo post stomachi dolore sævo cæpta est affli-
ctari , cognatisque ad lamenta festinantibus , ut
opem ferrent , una cum cibo materiam multam
evomuit coloris lutei , amari faporis , eamque
spumeam . Dolores verò ita gliscere , ut fæmi-
na impatiens agitatione perpetua toto lecto se
verteret . Aqua illæ theriacæ , aliaque leniora
medicamenta adhibita sunt frustra . Os enim sto-
machi contrahi , & claudi cœptum , testante
Virgine , quæ id probe sensit . Micturiæ illa
quoque , sed frustrà , nam diù , ac multum co-
nata , ne guttam quidem emisit . Interim orbes
oculorum præter morem cavati cernebantur ; su-
dorque frigidus toto corpore effluere , pulsus
neque cognosci , neque sentiri , facies livescere .

Vici-

Vicini me vocaverunt , sed in desperato salutis statu inventam , Sacramentis muniri , quanto cito potui , curam adhibui . Susceptis Ecclesiæ ritu Sacramentis iectu oculi discessit . Post obitum Virginis fasciculum alterum , quem illa intactum reliquerat , observavi diligenter , aliam, ne herbam , quæ pestifera sit, complicatam reperiam, quemadmodum accidit aliquando. Nec vana fuit investigatio . Cantharides multæ in eo fasciculo deprehensæ sunt. Hujus itaque morbi, mortisque causa , unde potissimum repetenda ? Herba ne Mercurialis , an Cantharides ipsæ in causa fuerunt ?

Non adducor , ut credam ab una herba Mercuriali vitam feminæ ereptam . Illa enim , quod veteres multi , ac recentiores testati sunt , non vi necandi , sed medendi prædita est . De facultatibus ejus cum Gravissimo Viro Hieronymo Mercuriali convenit Prævotius , qui Mercurialem silvestrem olerum more coctam , & oleo , ac sale conditam in medicamentis enumerauit ferositates evacuantibus . *In Libr. de Medic. paup.* Quod à Dioscoride accepit referente Maneto *tomo secundo Biblioth. Pharmaceutic.* Cum sit herba Mercurialis in dupli genere , utriusque decoctum Salmaticenses propinant animalibus iis , quæ à rabido cane demorsa sint , magno

magno cum successu, ut ipsi testantur. A Granatensibus verò, Mauricetanis præsertim ad mulieres morbos adhibetur, quod ex Clus. Rajo idem refert Mangetus. Est illa de numero herbarum quinque emollientium, & formosarum, absterget, alvum movet, & aquas, & bilem purgat. Quocirca in enematis usus ejus hodiernus est frequentissimus. Sunt è nostratibus mulierculis, qui Mercurialem Infantibus cum pappa exhibent, ut alvo soluta commode utantur, terminaque præcaveant. Ex his apparet morbum feminæ, ac mortem Cantharidibus esse tribuendam, veluti unicæ causæ, non herbæ Mercuriali. Symptoma Cantharidum, ut auctor est Bonetus tom. 3. pag. 601. de ven. animalibus : Assumptarum præcipuum est exulceratio vesicæ, & meatus urinæ: sua enim forma substanciali, & occulta assumpiæ reliquis visceribus præteritis ad vesicam statim deferuntur; ideoque earum assumptionem sequitur stranguria, & cruenta urinæ extillatio, ac virgæ exulceratio, deinde paulatim inflammantur, & hepar, & eroduntur intestina, immensique dolores in hypogastrio excitantur, quos dolores mentis alteratio, & mors subsequitur, nisi properè venenum expellatur, ejusque vis infringatur. Si quis autem Puellæ ea symptomata non contingisse objiciat, ut Bonetus observavit, esum Can-

tharidum consequi solent ; statim respondeo ; fortasse illa non acciderunt propter olei copiam, qua ufa est in Mercuriali frigenda, quæque acrimoniam illarum Cantharidum obtundere potuit ; nè illi effectus conseruerentur. Hisce adde, quod ut Mechanici norunt, corpus dum impingit in aliud corpus, in ipso quidem tanto minorem facit impressionem, quanto illud minus huic sese opponit. Quare cum laxitas fibræ in mulieribus major sit, quam in hominibus, ut præstantissimus observat Baglivus *in libr. de fibr. Motrice*; tum certè ex Cantharidum caustico sale majorem impressionem, irritamentum homines, quam mulieres reportabunt. Huic mechanicæ propositioni jam satis demonstratæ à Physicis omnibus respondent accuratissimorum hominum observationes : Baglivus quidem supralaudatus hic Romæ observavit hominibus vesicantia damnum potius, quam levamen intulisse : contra verò mulieres ex ipsorum usu, quam citius levamen symptomatum obtinuisse, sanitatemque sæpius recuperrasse. *Libr. de abusu & usu vesicant.* Præterea silentio præterire nullo modo possum, quod in epistola ad Gastonem Georgium Vallisnerius commemorat *tom. I. pag. 357.* Miles quidem ingeniosissimè nequam, scelestusque cum aliena fæmi-

fæmina pravam iniit consuetudinem , cuius libidinem ut provocaret , portionem Cantharidum ei dabat interdum , quas ipse in pulverem tenuissimum arte redegerat : Accidit autem aliquando , ut præ nimia portionis magnitudine , vel alia de causa , quæ intus lateret , ardentissimam febrim mulier contraheret , simulque stranguria per quam molesta conflictaretur: quo illa morbo brevi sublata sua gaudia destituit unà cum vita . Huc addi potest , quod paucis ab hinc diebus homini contigit . Is cum præ pœnis inertia cum uxore non posset consuescere , Cantharides sumpsit ad venerem proliriendam , eaque re pertinacem in morbum implicitus est , qui priapis mus à Medicis appellatur .





COMMENTARIO^LUM T E R T I U M

De Asthmatico - Convulsivo-
Hysterica Affectione,

*Qua afflita fuit Nobilis Matrona Gallicæ nationis
ad Forum Agonale.*



Atrona quædam h̄ic Romæ de-
gens in foro Agonali propè tem-
plum, vulgo Sanctæ Mariæ de
Anima nuncupatum, annorum se-
ptem supra quinquaginta, tem-
peramento melancholico prædita,
ac macie extenuata. Ob conjugis mortem, rei-
que familiaris jacturam, diuturnos, gravesque
animi moerores subiit. Hinc variis symptoma-
tibus miserè afflita fuit. Grave quippe perci-
piebat pectus, anhelosèque respirabat: si decli-
ve paulisper, aut celere instituebat iter, mul-
tum,

tum, vehementerque calefieri proimpta conspi-
ciebatur; ita ut frigidiusculum aerem in de-
liciis maximoperè haberet; quælibet domus,
etsi grandis ad respirationis usuram, angusta
sibi videbatur esse: plurimas animi defectiones
passa est; arteriæ pulsus debiles sunt, iisque ra-
ri alvus est adstricta; ingentem mingendi stimu-
lum habet; urinæ sunt decolores, veluti aqua;
in regione Iliaca, præsertim ad lumbos, do-
lores aliquando persentit; in paroxysmo glo-
bum veluti ascendentem ex uteri cavitate ad
ad hypocondria referentes, quotidiè capit is do-
lor acutus, ac pungens præsertim in superci-
liis, & fronte ad ossa temporum, qui dolor pro-
pè solis occasum, noctuque ingravescebat; abs-
que nota causa plurimas lacrymas mæstissima
profundit, omniumque aspectum exhorrescit.
Quidquid hactenus ad ipsius sanationem Medi-
ci tentarunt, id omne a morbo eluditur: in-
hoc tam ancipiti casu plurimi Medici omnem
salutaris artis operam, industriamque frustra
posuerunt; quinimò tribus ab hinc mensibus
ægra sæviora symptomata in se agnovit ingra-
vescere. Itaque neglecta per aliquod temporum
spatium Medicorum opera, demum ad medi-
cinæ auxilium confugiens prima vice auxilium
meum efflagitavit. Ast, ut verum fatear du-

bius, ancesque hæsitavi, Hippocratis monitus
 sententia, qui lib. de Arte, scriptum reliquit:
 Eorum, qui a morbo vici curationem non aggre-
 di, cum id in confessio sit, quod tales à Medicina
 sanari non possunt. Attamen quia accidit quan-
 doque, ut & monitu Celsi, plures ægrotantes,
 qui omnem sanationis spem videbantur amissi-
 se in integrum salutem sese restituerint, nolui
 improbo pronostico, ut verbis utar Hippocra-
 tis, ægram dimittere, sed illius curationi om-
 ninò me accinxi. Quare omnia phœnomena su-
 perius recensita animo perpendens sedulò, judi-
 cavi morbum omnem ad Asthmatico-Convulsi-
 vo-Histericam passionem referendum esse. Hu-
 jus causa, quantum conjicere licet, vitium est
 elementorum sanguinem componentium. Nam
 elementa ipsa, quorum omnium figura, si re-
 stè consistant, spherica est, aliam nunc adepta
 sint, angulosam, nempè, & acutam. Singula
 ergo corpuscula elementi sanguinei, cum densa,
 ac rigida facta sint in acumen abeunt, suum
 que motum proinde paucissimis punctis aliis
 corporibus imprimunt. Quo autem acutius erit
 unumquodque corpusculum, & pauciora pun-
 cta, in quæ vim suam exercet, eò gravius
 lædet, ea corpora, quæ percutiet, doloremque
 majorem excitabit. Hujus sane acrimoniae si-

gna commerantur ab Hermanno Baerhavio in Institutionis Medicis scribente. *Signa acrimonie in humoribus sunt, imprimis dolor sine signis motus aucti, & sine apparente abstractione majore; ut erosio partium sine tumore simul praesente.* Consideranti hanc historiam notum fit, ægritudines animi causas fuisse, cur hujusmodi Morbum Matrona contraheret. Quandoquidem illæ animo infixæ efficaciter immutant, vitiantque cerebri actiones mirum in modum, itemque nervorum, succi nervei, ac musculorum. Quocirca ipsa diurnitate ad omne vitium inducendum sunt aptæ. Clarissimum est, stomachum hujusmodi animi pathematibus laxatum fuisse, ejusque actionem, quæ ad cibos concoquendos requiritur, adeò fuisse debilitatam, ut facile credi possit, principium Mali inde esse profectum. Cum stomachus juxta naturæ leges cibos non perfecisset, effectum est, ut chylus rufus gigneretur, a quo non potuit parari bonus, ut debuit, atque laudabilis sanguis. In Massa igitur sanguinis ægrotantis Matronæ cum sint principia illa, quæ ante dixi degenerantia a legibus naturalibus ex eo fit; ut ad uterum delata vim suam mechanicam secundam exiguum superficiem, quam susceperunt, parti nervosæ uteri applicent, eamque irritando, &

ex-

excindendo dolores maximos efficiant . Sane illa sanguinis elementa ad pulmonem per ejus vasa delata , ita horum sectiones constringerunt , ut ipse pulmo non possit liberè , ut solet ab aere superiore diffundi , & explicari : Hinc asthma est ortum oppositis illis corporum ex adverso agentium viribus . Sed quia circuitu sanguinis naturali in vasis pulmonis impedito , nec venæ illæ quantitatem , quam debent ad finistrum cordis deferebant , & ipse ventriculus humore consueto est destitutus , pulsus propterea debiles sunt deprehensi . Quando autem sanguis ipse ingreditur , & egreditur , aliquando sub æqualibus , aliquando sub inæqualibus temporum differentiis , ut in hac foemina contigit ob convulsionem inquam , qua corripitur Mulier hysterica ; idcirco pulsum intermittentem fæpius observavi .


Quod spectat ad curam , in usum revocavi ea omnia , quæ occurserent causis , in quarum remotione omnis curationis vis posita videbatur . Hoc fiet acre leniendo , illudque obtundendo , & ut ægrotantis alvum ab excrementis mundam conservando , atque stomachum conservando , ut ad alimenta digerenda evaderet aptus . Ad Causas igitur amovendas utile duxi , ægrotantem foeminam in colloquio versari

fari , & consuetudine hominum honestè , & ju-
cundè otium fallentium , & sic hilaritatem ejus
animo inducere , mæsticiamque , ac follicitudi-
nem expellere : Inter cætera auxilia , magni fe-
ci , commode alvum purgare , sola scilicet caf-
fia , & oleo amygdalarum dulcium cum suffi-
ciente quantitate aquæ theriacalis , sola , quan-
doque cum aliis remedii conjuncta ; Stillatum
postea magistrale , quod ex canceribus sit con-
fectum , simulque carne vitulina , frigidisque
seminibus , succis temperatis , sero , mihi mul-
tories probatum concessi . Hisce in Morbis cum
sint convenientia diuretica , ut Joannes Rhodius
lib. 3. observ. 27. observavit , & Baglivus no-
ster testatur hisce verbis : *Plus adnotarimus in
pectoris morbis semper educendam esse materiam
ad urinæ vias , natura id demonstrante : Quippe
magnum consensum esse in tibia , pudenda , & per-
Elus constat . Propterea serum per duodecim dies
ægrotanti mulieri exhibui : serum enim nitro-
sis constat partibus , ideoque detergit , lubricat
que alvum , atque urinam movet : inde dedi
lac Asinimum , una cum duodecim guttis tin-
cturæ calybis pomati Lac pinqui butyrofa sua
substantia particulas sanguinis acutas mirè ob-
tundit , spasmodicas crispaturas laxat : Lac cer-
tè remedium antispasmodicum , anodynum , &
epi-*

epicerasticum a Primis Medicinæ Parentibus existimatur: Vide Dissertationem meam de hujus remedii virtute , quam jam , jam typis e-dam. In æstatis autem fervore Aqua Nucerien-sis , & Aquæ dulcis balneum magnoperè pro-fuit. Aerem commendavi purum , serenum , & lucidum , ut apud Cælium Aurelianum videre est. Lib. II. capite III. Obtinente , ait , Strictu-ra convenit , ægrotos jacere loco lucido mediocriter , atque calido , adhibita abstinentia usque ad tertium diem cum requie corporis , atque animi appositis lanis limpidis , atque mollibus , oleo dulci , atque calido prætinctis colla thoracem circumdantibus . Meo insuper Consilio rus petiit , ubi bonus , sanusque aer afflat , qui summæ utilitatis a plu-rimis præstantissimis physicis hisce in morbis existimatur , præcipue Hoffmanno , & Bagli-vio , qui scribit his verbis: *In diuturno , inquit , asthmate , sive humorali , sive convulsivo , aerem rusticum , ægrotantibus impero , & potissimum , ut campos habitent , quos erant bubulci , debet ita-que asthmaticus sequi bubulum , quando terram arat , & incedere per sulcum , sive viam ab aratro re-center in terra factam , & aperto ore inspirare aerem , sive halitus nitro-salinos , & sulphureos a recenter ruptis terræ glebis prodeuntes . Tonus pul-monum longo morbo relaxatus nitro salina centralis*

terre

terræ caloris substantia robatur, & confirmatur,
& restituitur, eoque restituto circulus quoque li-
quidorum per pulmonum telas in libertatem poni-
tur, morbusque profligatur. Consilia mea beni-
gna Creatoris Providentia fructum, & ut ve-
rum fatear, majorem, quam quem sperarem,
retulerunt; Ægra enim postquam aliquo tem-
pore rure morata esset, ita morbum, sympto-
mata minuere sensit, ut secum decerneret, do-
mum se se restituere. Quare domum rediens
fana ab omni incommodo, quod prius passa-
erat, incredibili lætitiae parentibus est, quibus
admirantibus omnes mentis, & corporis fun-
ctiones optimè exercet.



I M P R I M A T U R,
Si videbitur R̄mō Patri Mag. Sac. Pal. Apost.

F. M. de Rubeis Patr. Constant. Viceſg.

APPROBATIO.

Mandante R̄mō Pat. Sac. Palatii Apostolici Magistro Fr. Josepho Augustino Orsi, Libellum, cui titulus = *Opuscula Medico Præctica de Immani Affectione Hysterica, qua Nobilis Parisiensis Mulier ad forum Hyspanum de Urbe diu vexata est.* = *De Morte Nobilis Puellæ, ut falsò putatur ab Herba Mercuriali = De Asmotico-Convulsivo-Hysterica Affectione, qua afflēta fuit Nobilis Matrona Gallicæ Nationis ad forum Agonale*, ab Illmō, atque Excellmō, eruditissimoque Viro Joanne Gallo, Siculo, Philosophiæ, ac Medicinæ Doctore, Equite Aurato, Comiteque Palatino, conscriptum, summa eruditione, optima methodo, atque exquisita diligentia attentè inveni: Atque neque bonis moribus, neque Catholicæ Fidei, vel minimum obstat, dignum esse publica luce eundem, judico: In quorum fidem &c. Datum Romæ die 21. Junii 1752.

*Dominicus Antonius de Bellis Philosophiæ,
ac Medicinæ Doctor.*

IMPRIMATUR.

Fr. Vincentius Elena Mag. Socius R̄mi Patris Magistri Sac. Palat. Apostolici Ord. Prædicat.